

Université de France - Distribution générale des prix aux élèves des collèges de Paris et de Versailles - Année 1839.

Numéro d'inventaire : 2002.02174

Type de document : imprimé divers

Imprimeur : Imprimerie royale, Paris

Période de création : 2e quart 19e siècle

Date de création : 1839

Description : Couverture papier bleu, brochage d'origine.

Mesures : hauteur : 255 mm ; largeur : 205 mm

Notes : Le duc d'Aumale, fils de Louis-Philippe, élève de rhétorique à Henry IV, récolte un 2ème prix de discours français et un 2ème prix d'histoire, son frère le duc de Montpensier, élève de 3ème, un 3ème accessit d'histoire.

Mots-clés : Distributions de prix et livres de prix

Filière : Lycée et collège classique et moderne

Autres descriptions : Langue : Français

Nombre de pages : 52

UNIVERSITÉ DE FRANCE.

DISTRIBUTION GÉNÉRALE
DES PRIX

AUX ÉLÈVES DES COLLÈGES DE PARIS
ET DE VERSAILLES.

ANNÉE 1839.



(4)

A midi, M. le Ministre est entré dans la salle précédé des Inspecteurs de l'Académie de Paris, du Conseil académique, des Inspecteurs généraux des études, et du Conseil royal de l'Instruction publique.

La séance étant ouverte, M. *Regnier*, professeur de rhétorique au Collège royal de Charlemagne, a prononcé le discours suivant :

Quas hodie partes sustineo, easdem illas quanto olim omnium assensu egerit, tunc admodum adolescens, illustrissimus ille hodierni nostri consessus præses, multi me nunc audiunt qui meminere. Meministi tu quoque, summe Universitatis rector, hujus diei, quum, tuam velut auspicatus eloquentiam, nondum poteras prævidere quem olim campum esset habitura, in quo excurreret et, quanta est, cognosceretur. Meministi, et, quamvis nobiliores tibi triumphos pepererit egregia illa tua dicendi facultas, non dubito quin libenter fatearis te non sæpe suaviores ex ingenio fructus percepisse quam quum solemnibus ille discentium et docentium cœtus, postquam, dicta oratione, consedisti, quam sibi satisfacisses unanimi plausu declaravit, et commune judicium suo confirmavit eximius ille dicendi artifex et iudex qui tunc temporis, quod tu hodie, dignissimus ille quoque, munus exsequebatur.

Quod ad me attinet, mihi parum hujus tanti exempli commemoratione consulere videor, auditores ornatissimi, quum non alio mihi nomine vestram benevolentiam conciliare possim, quam si, quæ via nulli non hic patet oratori, vos attendere jubeam, quam difficilem provinciam susceperim, et quas in angustias ille adducatur cui viris doctissimis et omni studiorum laude cumulatis suam approbandi orationem incumbat necessitas, quum nunquam antea, nisi coram discipulis, verba fecerit.

At ne vos quidem, discipuli lectissimi, ut plane quod sentio eloquar, qua soleo fiducia nunc aspicio. Quæ enim vestra mihi circumfunditur frequentia, huic inusitatus quidam accedit splendor et insolita auctoritas ex hac solemnitate; tum verendum nescio quid vobis addunt primæ istæ et tam bonæ spei coronæ, quas tam multis illis vestris capitibus jam impositas videre mihi videor : ut qui nunquam vos intueri timuerim aut alloqui, nunc mihi nonnihil, si incidant in vos oculi, desit securitatis, et mihi videar huic meo impar muneri, nisi vestram faventium adhortationem non omnino mihi defuturam confiderem.

(5)

Hanc enim mihi sumpsi vos alloquendi materiam, quæ, quum vix ulla magis ad nostram ætatem pertineat, vobis, spero, non displicebit, et ostendere aggrediar quantum inter scriptorem interesse debeat et extemporalem oratorem, inter accuratam styli diligentiam et vel felicissimam dicendi temeritatem; atque, quum hæc ita sint, quam male de litteris mereatur, si quis legem illam in scribendo negligat.

Id profecto nobis jure ac merito gratulamur, quod apud nos hodie, ut Romæ olim et Athenis, viris disertis rostra pateant, unde præclara ista civitatum gubernatrix eloquentia animos ad nutum agat et moveat. O vere dignam aream in qua facundia exerceatur, et ingenium exsultet, ac totis utatur viribus! Hic enim magnæ et nobiles oratoribus suppetunt dicendi causæ; hic nihil fictum aut præteritum vocatur in disceptationem; vera omnia et præsentia, et quæ ad maximas reipublicæ utilitates pertineant. Hæc vera eloquentiæ facies, non imago; hic ferro, non rudibus dimicatur; *neque enim levia aut ludicra petuntur præmia*, sed de hoc fere agitur, et acerrimis nonnunquam studiis, quod quum ad patriæ libertatem ac salutem intersit, eos animo stimulos addat, qui nisi sub pectore vertantur, languescit et jacet omnis facundia. Hic denique potissimum eloquentia, ut ait Tacitus, sicut flamma, materia alitur, et motibus excitatur, et urendo clarescit.

Præterea nullum est eloquendi genus, quod non in publicis nostris consiliis, quanta est rerum varietas, dare possit sui documentum; nec ullus ingenii color, cui non multæ ad famam et utilitatem præbeantur opportunitates; seu quis rerum prudentia valeat et sententiarum pondere, seu verborum splendore et copia luxuriat, seu ferventi feratur alius impetu, seu subtili mentis acumine cuncta perspiciat. Ea sunt publica hæc rostra, unde sibi faciat audientiam quum qui, accurata et diu cogitata dicturus, paratam agendi copiam domo afferat, tum si quis, aut animo aut usu promptior, ex tempore quæ poscat tempus inveniat et effundat.

Expeditus ille autem et extemporalis orator hic in suo quasi regno dominari, unusque omnium ad cunctos certaminum casus mihi videtur adstare paratissimus et in aciem omnibus armis instructus exire. Unus omnium nullos incursus reformidat, et ictus commodissime nunc sustinet aut effugit, nunc intentat aut infert. Videte quam non vaginæ adhæreat gladius, quam facili motu, vix injecta dextra, nudatus fulgeat, et modo impugnantium tela retundat, modo adversarios ultro impetat ac proturbet. Ex quacunque parte coortus aliquis nostrum hunc militem aggrediatur, non pugnam ille detrectabit, nec, dilata in crastinum defensione, domum revertet meditaturus quo vulnere acceptum vulnus die proxima ulciscatur. Nihil est tam fortuitum quo imparatus opprimatur; nihil tam inexpectatum quod